

rum in finem a deo ter optimo maximo liberandi ex evidenti periculo a Gallis excursoribus militibus pertimescendo et actualiter, ut sequitur, viso et experto, sed per dei misericordiam et intercessionem beatae virginis Mariae nec non sacrosanctorum Benedicti, Landellini ac Romani feliciter, at non sine magnis angustiis superato.

Die 17<sup>ma</sup> Septembris 1713 postquam pridie ante jam medietas circiter exercitus Gallicani ad vesperam a fortalio Kehelensi\*, quod inter et Argentinam praeterfluit fluvius, dictus Rhenus, Dinglingam circiter tribus nostratibus leucis abhinc distantem pagum attigisset, mane circa horam sextam salvaguardia unica patre Sebastiano\*\* Ettenheimio ad monasterium comitante advenit. Praevidens evidens periculum eo, quod praegrans spargeretur Gallorum exercitus et hinc quam plurimi futuri essent excussores milites, quos Marodeurs solent appellare, atque etiam cella vinaria omni prorsus destituta existeret custodia vel salvaguardia, optime nobis et monasterii consultum fore duxi\*\*\*, si desuper auxilium a deo efflagretur. Ea propter ut numen propitium et pronum ad auxilium nobis mittendum et efficaciter succurrendum eo facilius moveretur, salutaris menti meae suborta est cogitatio, ut aliquod peragendorum honorum operum votum emitterem, quod et emisit et in sequentibus consistit: Votum primum. Promisi et vovi praesentibus mihi rr. pp. subpriori et archimagyro in honorem sacrosanctae trinitatis triduanum jejunium, qua data prima occasione intra octo dies seu septimanam in pane et aqua et ita peragendum, ut tamen ei, qui ob infirmitatem, aut aetatem tale jejunium peragere nequiret, tali voto non esset obstrictus, aut ubi quis debilitatem stomachi timesceret, eidem cum pane et aqua, offam sumere liceret. Unde tribus hinc diebus jejunii pani et aquae offa quaedam calida pro libitu cuiusque comedenda ad mensam apponi debet.

Sequenti die, id est 18<sup>va</sup> missus est rev. pater Josephus† ad alteram medietatem dieti exercitus, illo vespere circa Schutterense monasterium adventati<sup>1</sup>, tentaturus, an eidem pro monasterio et Münchweyr, ubi maximam vini nostri partem habemus, custodia concederetur. Quam<sup>2</sup> viginti octo gregariis militibus et duobus decurionibus (sergeant) consistentem cum impetrasset, die 19<sup>ma</sup> cum illa Münchwirum circa horam 7<sup>ma</sup> matutinam perveniens ibidem de custodia viginti quinque capita reliquit et cum reliquis quinque ad monasterium inoffenso pede advenit. At non sine aliquo inopinato periculo cum illis intravit. Nam postquam mihi ab aliquo eorum, qui vigiliis duxerunt††, relatum fuisset, patrem Josephum cum parte custodiae septis monasterii appropinquare visum esse, quin et proximum esse portae monasterii, me subito extra portam, nil aliud cogitans, contuli. Quo cum pervenissem, casu in Caesareanos milites offendi, quorum ducem, cum vix de salvaguardia mecum exire volente et de custodiis Gallicis una Münchwirae actu existente et altera proxime adventante†††

<sup>1</sup> adventatis, Sf. <sup>2</sup> scil. custodiam.

\* Kehl. \*\* Sebastian Knab von Schlettstadt. \*\*\* Das ist der Abt Johann Et selbst. † P. Joseph Muselm von Freiburg. †† Das sind die Thurmwächter. ††† una scil. custodia Gallica sind die 25 Mann, welche in Münchweyer stehen, altera proxime adventante sind die 5 für das Kloster bestimmte Mann derselben französischen Baucompagnie.

edocuissem, ut salvi et liberi atque hinc ex omni parte intacti relinquerentur. Et ecce casum, custodia haec militaris in conspectum meum et Caesareanorum militum tam prope venit<sup>1</sup>, ut vix viginti passibus distaret miles unus et alter. Quibus Gallicis a caesareanis militibus, utpote plus decuplo numerosiores, ad perimendum sese stiterunt, ut vix cito satis, quod custodes tantum essent instrui potuissent\*.

En mirabilem dei providam pro nobis dispositionem. Hac eadem die circa horam secundam pomeridianam ex omni parte conjuratae excursorum militum Gallicorum turmae septa monasterii cinxerunt ac demum portae majori appropinquantes et sese associantes modo panem et vinum, modo pecunias aut alia mobilia sub atrocibus minis postulavere. At postquam vinum et panem per sportas fune alligatas dimissos accepissent, nil meliores facti aperiri sibi portam sub poena incendii et mortis institerunt. Et quia renuentes et ad extrema quaeque potius sufferenda nos viderunt et experti sunt, quam pandatur introitus in monasterium, desperati hi milites ac si in rabiem acti essent, ejaculando scelopeta sine distinctione personarum ad mortem nos quaesiverunt, et ignem portae ad conflagrandum cum stramine apposuerunt. Quod videns salvaguardia non tantum se ipsum audacter defendit, sed defensionem quocunque possibili modo intrepide singulis mandavit. quo factum est, ut utrinque alacriter non tantum fuisset scelopetis jaculatum, sed abs militibus invadentibus pro virili fuisset tentata per muros et portas irruptio. His in summis vitae et honorum perdendorum periculis cum et me et meum conventum ac monasterium constitutos, nostrumque adjutorium a deo nobis submittendum necessarium fore conspexissem, in deum, ter optimum maximum, fidens in finem consequendi auxilii divini sequentia emisit vota: Votum secundum. Vovi et promisi peregrinationem ad thaumaturgum<sup>2</sup> virginem Mariam Einsidlensem per me vel patrem conventualem meum cum oblatione votivae tabulae intra anni spatium abhinc numerando faciendam. Votum tertium. Vovi et promisi trinam processionem praesente conventu huiate, primam ad sepulchrum s. Landellini in Münchweyr, alteram ad locum martyrii ad peregrinationem eiusdem sancti martyris patroni et tertiam ad s. Romanum in Schwaighausen, quam primum fieri poterit, peragendam. Quibus tribus votis addidi pro me privatim hoc votum quartum. Promisi et vovi, quod velim per alios adhuc tres dies, prout in primo voto, in pane et aqua jejunare. Ad quae vota rite adimplenda a deo, ter optimo maximo, et gratiam nobis singulis et deo grata fore peropto, ad quae deum respexisse ex his colligo, quia invadentes milites, neminem laeserunt, nec portas effringere, vel comburere, neque etiam muros conscendere aut sua quacunque licet praegrandi vi contra nos praevaluere; sed feliciter in fugam redacti fuere, pro qua divina assistentia et liberatione nostra sit deo deiparaeque virgini Mariae, ac caeteris patronis nostris sanctis laus, honor et gloria, in saecula amen.

[Johannes Baptista Eck, abbas<sup>3</sup>.]

<sup>1</sup> venerunt, Sf. <sup>2</sup> thaumaturgam, Sf. <sup>3</sup> steht in der Sf.

\* Der Sinn dieses Satzes, der nicht gut construirt ist, geht dahin, daß die Kaiserlichen der fünf Mann Franzosen mehr als zehnfach überlegen waren und einen Angriff auf diese fünf Mann machen wollten.